

25. horis vel ipsa motu circulari Terram ambiat, vel Terra motu vertiginis in se convoluta totam sui corporis superficiem prædicto tempore in orbem convertat, stante Lunâ, igitur Selenitæ semper aliam atque aliam Terræ superficiem vident, & proinde discum quoad figuram eundem, diversum tamen quoad superficiem, idque spacio 25. horarum, quo à Meridiano certæ regionis digressa Luna rursus ad eundem accedere videtur.

## CAPUT IV.

### Phænomenon II.

DISCUS TERRÆ SELENITIS DECIESQUINQUIES  
FERE MAJOR APPARET, QUAM TERRICOLIS  
DISCUS LUNÆ.

Supponimus hîc tantam lunaris disci diametrũ ex Terrâ visibilem, quantam *R. P. Ioban. Bapt. Ricciolus Almag. Novo, Tomo 1. part. 1. lib. 4. cap. 16.* ex observationibus suis accuratissimis elicit: minimam nempe, cum  $\mathcal{D}$  maximè distat à Terrâ, 27. *minutorum*; maximam verò, cum Terram proximè accedit, 35. *min. 6. sec.* Quibus positis & assumptâ simul distantia Lunæ, sive maximâ 66. *semid. 42. /.* sive minimâ 51. *semid. 20. /.* Sequitur veram ejus diametrum sese habere ad diametrum Terræ, ut  $26\frac{1}{5}$  ad 100. Quod ut facilius intelligatur sit in diagrammate num. 1. inferius annexo, *BD. distantia  $\mathcal{D}$  minima 51. Semid. 20. /.* & *angulus ABD. semidiameter  $\mathcal{D}$  apparens in tali situ 17. /.* 33. //.

Quoniam igitur in Triangulo ABD. angulus A rectus est, si fiat ut radius 100000. ad distantiam Lunæ BD. 51. *semid. 20. /.* ita sinus Semidiametri apparentis AD. 510. ad aliud, provenit vera Lunæ Semidiameter 2618. partium, qualium Semidiameter Terræ est 10000. Posita igitur Semidiametro Terræ 100, Semidiameter  $\mathcal{D}$  erit  $26\frac{18}{155}$  h. e.  $26\frac{1}{5}$  ferè, quod integrè quidem producitur, si maxima  $\mathcal{D}$  distantia 66. *Semid.*

42. /.